

**DIES DECIMA QUARTA  
DE S. CYPRIANO, EPISC. MART. PROPE  
CARTHAGINEM IN AFRICA,  
VITA**

**Auctore S. Pontio, illius diacono, Ex editione  
Ruinartii in Actis sinceris Martyrum.**

**CAPUT I.**

**Auctoris præfatio:**

**Sancti ad fidem conversio:**

**ad sacros Ordines promotio:**

**virtutis studium: episcopatus, & virtutes.**

[Auctor rationes] Cyprianus religiosus antistes ac testis Dei gloriosus, tametsi multa conscripsit, per quæ memoria digni nominis supervivat; etsi eloquentiæ ejus ac Dei gratiæ larga fœcunditas ita se copia & ubertate sermonis extendit, ut usque in finem mundi fortasse non taceat; tamen quia operibus ejus ac meritis etiam hæc prærogativa debetur, ut exemplum suum in litteras digeratur, placuit summatim pauca conscribere; non quod aliquem vel gentilium lateat tanti Viri vita; sed ut ad posteros quoque nostros incomparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certe durum erat, ut cum majores nostri, plebejis & catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pœne cuncta conscripserint, ut ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent; Cypriani tanti sacerdotis & tanti martyris passio præteriretur, qui & sine martyrio habuit, quæ doceret, & quæ, dum vixit, gesserit, non paterent.

[2] [scribendi exponit;] Quæ quidem tanta, atque tam magna & mira sunt, ut magnitudinis contemplatione deterrear, ac imparem me esse confitear ad proferendum digne pro meritorum honore sermonem; nec posse sic prosequi facta tam grandia, ut, quanta sunt, tanta videantur; nisi quod numerositas gloriarum sibimetipsa sufficiens alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quod & vos de eo multum, aut, si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti vel facta ejus cognoscere, etsi interim viva verba tacuerunt. In qua parte si dixero, nos opibus facundiæ defici, minus dico. Facundia enim ipsa deficit digna facultate, quæ desiderium vestrum pleno spiritu satiet. Ita utrimque graviter urgemur: siquidem ille nos virtutibus suis onerat, vos nos precibus fatigatis.

[3] Unde igitur incipiam? Unde exordium bonorum ejus aggrediar, [& a suscepta per illum religione orditur.] nisi a principio fidei & nativitate cælesti? Siquidem Hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est. Fuerint licet studia, & bonæ artes devotum pectus imbuerint, tamen illa prætereo: nondum enim ad utilitatem nisi sæculi pertinebant. Postquam & sacras Litteras didicit, & mundi nube discussa, in lucem sapientiæ spiritualis emersit, si quibus ejus interfui, si qua de antiquioribus ejus operibus comperi, dicam: hanc tamen petens veniam, ut, quidquid minus dixero (minus enim dicam, necesse est) ignorantia meæ potius, quam illius gloriæ derogetur.

[4] Inter fidei suæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, [Catechumenus continentiam amplectitur, & prædiorum suorum] quam si continentiam tueretur: tunc enim posse idoneum fieri pectus, & sensum ad plenam veri capacitatem pervenire, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniciæ vigore calcaret. Quis umquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda

nativitas novum hominem splendore toto divinæ lucis oculaverat, & jam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde, quod majus est, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, sed pro fidei festinatione didicisset; statim rapuit, quod invenit promerendo Deo profuturum. Distractis rebus suis ad indigentiam pauperum sustentandam, tota prædia pretio dispensans, duo bona simul junxit, ut & ambitionem sæculi sperneret, qua perniciosius nihil est; & misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit, quam nec ille, qui Legis omnia mandata servasse se dixerat, fecit, impleret: & propterea velocitate pietatis pæne ante cæpit perfectus esse, quam disceret.

[5] Quis oro de veteribus hoc fecit? Quis de antiquissimis in fide senibus, [pretium pauperibus erogat.] quorum mentes & aures per plurimos annos divina verba pulsaverant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei Homo, & cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis ætatem, gloriosis & admirandis operibus perpetravit? Nemo metit, statim ut sevit: nemo vindemiam de novellis scrobibus expressit: nemo adhuc umquam de noviter plantatis arbusculis matura poma quæsivit. In illo omnia incredibilia cucurrerunt. Prævenit, si potest dici (res enim fidem non capit) prævenit, inquam, tritura sementem, vindemia palmitem, poma radicem.

[6] Aiunt Apostoli litteræ, debere neophytos præteriri, [Ad sacros Ordines cito promovetur;] ne stupore gentilitatis, nondum fundatis sensibus, adhærente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret. Ille fuit primus, & puto, solus exemplo, plus fide posse, quam tempore promoveri. Sed & si in Apostolorum Actis eunuchus ille describitur, quia toto corde crediderat, a Philippo statim tinctus; non est similis comparatio: ille enim & Judæus erat, & de templo Domini veniens,

prophetam legebat Isaïam, & sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat: hic de imperitis gentibus veniens, tam matura cœpit fide, quanta pauci fortasse perfecerunt. Mora denique circa Dei gratiam nulla, nulla dilatio. Parum dixi: presbyterium & sacerdotium statim accepit: quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?

[7] [Sanctos sibi imitandos,] Multa sunt, quæ adhuc plebeius, multa, quæ jam presbyter fecit, multa, quæ ad veterum exempla justorum, imitatione consimili prosecutus, promerendo Dominum totius religionis obsequio præstitit. Nam & sermo illi de hoc fuerat usitatus, ut, si quem prædicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri, propter quæ facta Dei placuisset. Si Job, Dei testimonio gloriosus, dictus est verus Dei cultor, & cui ia terris nemo compararetur; faciendum docebat ille, quidquid Job ante fecisset: ut, dum & nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium provocemus. Contemptis ille dispendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, ut nec pietatis temporalia damna sentiret.

[8] [jugiter proponit.] Non illum penuria, non dolor fregit, non uxoris suadela deflexit, non proprii corporis dira pœna concussit. Permansit in suis sedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata devotio: nullo diaboli tentantis impetu cessit, quominus Deum suum fide grata etiam inter adversa benediceret. Domus ejus patuit cuicumque venienti: nulla vidua reversa est sinu vacuo: nullus indigens lumine non illo comite directus est: nullus debilis gressu non illo bajulo vectus est: nullus nudus auxilio de potentioris manu non illo tutore protectus est. Hæc debent facere dicebat, qui Deo placere desiderant: & sic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam ipse se fecit imitandum.

[9] [A Cæcilio ad fidem adductus,] Erat sane illi etiam de nobis contubernium viri justī & laudabilis memoriæ Cæciliī, & ætate tunc & honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ Divinitatis a sæculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni observantia diligebat, obsequenti veneratione suspiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, sed tamquam novæ vitæ parentem. Denique ille demulsus ejus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de sæculo excedens, arcessitione jam proxima, commendaret illi conjugem ac liberos suos, ut, quem fecerat de sectæ communionē participem, postmodum faceret pietatis hæredem.

[10] [& adhuc neophytus] Longum est ire per singula, cuncta ejus facta onerosum est enumerare. Ad probationem bonorum operum solum hoc arbitror satis esse, quod iudicio Dei, & plebis favore, ad officium sacerdotii & episcopatus gradum adhuc neophytus, & ut putabatur, novellus electus est: quamvis in primis fidei suæ adhuc diebus, & rudi vitæ spiritalis ætate, sic generosa indoles reluceret, ut, etsi nondum officii, spei tamen fulgore resplendens, imminentis sacerdotii totam fiduciam polliceretur. Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum, cum in dilectionem ejus & honorem totus populus, adspirante Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, & indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret: magis enim dignus efficitur, qui, quod meretur, excusat.

[11] Quo tunc ardore plebs æstuans fluctuabat, spiritali desiderio concupiscens, ut exitus docuit, [episcopatum assumere compulsus,] non tantum episcopum; in eo enim, quem tunc latenti Divinitatis præsigio taliter flagitabat, non solummodo sacerdotem, sed & futurum etiam martyrem requirebat. Obsederat fores domus copiosa fraternitas, & per omnes aditus sollicita caritas circuibat.

Potuisset fortasse tunc illi Apostolicum illud evenire, quod voluit, ut per fenestram deponeretur; si cum Apostolo etiam ordinationis honore similaretur. Erat videre ceteros omnes suspenso & anxio spiritu exspectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Invitus dico; sed dicam necesse est: quidam illi restiterunt, etiam ut vinceret. Quibus tamen quanta lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulsit, quam clementer ignovit, amicissimos eos postmodum, & inter necessarios computans, mirantibus multis: cui enim posset non esse miraculo tam memoriosæ mentis oblivio?

[12] Exinde quemadmodum se gesserit, quis referre sufficiat? [episcopalibus virtutibus emicat.] Quæ illi pietas? Qui vigor? Misericordia quanta? Quanta censura? Tantum sanctitatis & gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet intuentium mentes. Gravis vultus & lætus; nec severitas tristis, nec comitas nimia; sed admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plus, an diligi mereretur; nisi quod & vereri & diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus & ipse de medio. Non illum superbia sæcularis inflaverat; nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat; quia & hoc vestitus genus a jactantia minus non est, quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem circa pauperes Episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? Viderint pietatis antistites, seu quos ad officium boni operis instruxit ipsius Ordinis disciplina, seu quos sacramenti religio communis ad obsequium exhibendæ dilectionis artavit. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit.

## ANNOTATA.

Inter hæc prædia fuere horti ipsius prope Carthaginem, quos in usus pauperum venditos, ex divina indulgentia

postmodum recepisse, & in quibus relegatus aliquamdiu hæsisse, captusque esse, infra cap. 3, num. 30 dicetur.

## CAPUT II.

**Sancti proscriptio & secessus: misericordia peste infectis exhibita: exsilium: visio de martyrio.**

[Proscriptus & ad leonem postulatus,] Statim denique pro talibus meritis etiam proscriptionis gloriam consecutus est. Nec enim aliud oportebat, quam ut eum, qui intra secretam conscientiae latebram religionis & fidei toto honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet. Potuisset quidem tunc pro velocitate, qua semper omnia consecutus est, etiam martyrii circa eum debita corona properare; maxime cum & suffragiis sæpe repetitis ad leonem postularetur; nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, & sic ad summa veniendum; & nisi imminens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrii dignatione translatus; quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiae disciplinam, & habitum sanctimonia dignum, velut frenis quibusdam lectionis dominicæ coërceret? Quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem hæreticos, schismaticos unitatem; filios Dei pacem & Evangelicæ precis legem?

[14] Per quem gentiles blasphemi, repercussis in se iis, [prudenter] quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut, quod magis est, fidei parvioris, consolarentur spe futurorum? Unde sic misericordiam, unde patientiam disceremus? Quis livorem, de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inhiberet? Quis martyres tantos exhortatione divini sermonis erigeret? Quis denique tot confessores, frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum

**martyrii superstites reservatos, incentivo tubæ cælestis animaret? Bene, bene tunc & vere spiritaliter contigit, quod Vir necessarius tam multis & tam bonis rebus a martyrii consummatione dilatus est. Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem? Ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est; quam passionem utique ex more vitaret, si & ante vitasset.**

**[15] Fuit vere formido illa, sed justa: formido, quæ Dominum timeret offendere: [& ex divinæ providentiæ consilio] formido, quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & sic divinis admonitionibus mancipata, credidit se, nisi Domino latebram tunc jubenti paruisset, etiam ipsa passione peccare. Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis utilitate disserenda, tametsi jam dudum pauca perstrinximus. Per hæc enim, quæ videntur postmodum subsecuta, ut sequitur, probemus secessum illum non Hominis pusillanimitate conceptum, sed, sicuti est, vere fuisse divinum. Vastaverat Dei populum persecutionis infestæ insolens atque acerba grassatio: & quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hostis, quacumque miles incautus prodiderat latus nudum, dispari genere sæviendi, singulos diversa strage dejecerat.**

**[16] [secedit.] Debebat esse, qui posset saucios homines, & varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ cælestis medela pro qualitate vulneris vel secare interim vel fovere. Servatus est Vir ingenii præter cetera etiam spiritaliter temperati, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus ecclesiæ iter medium librato limite gubernaret. Nonne hæc, oro, consilia divina sunt? Hoc fieri sine Deo potuit? Viderint, qui putant, posse fortuito ista contingere. Ecclesia illis clara voce respondet, dicens: Ego sine Dei nutu necessarios reservari, non admitto, non credo.**

[17] [Grassante dira peste,] Percurramus tamen cetera, si videtur. Erupit postmodum lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia innumeros per diem populos a sua quemque sede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impie, quasi cum illo peste morituro etiam mortem ipsam aliquis posset excludere. Jacebant interim in tota civitate non jam corpora, sed cadavera plurimorum, & misericordiam in se transeuntium contemplatione sortis suæ flagitabant. Nemo respexit aliud præterquam lucra crudelia; nemo similis eventus recordatione trepidavit; nemo fecit alteri, quod pati voluit. Quid inter hæc egerit Christi & Dei Pontifex, qui pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate, præcesserat, scelus est præterire.

[18] [plebem suam ad succurrendum ea infectis] Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiæ bonis instituit, docens divinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint officia pietatis. Tunc deinde subjungit, non esse mirabile, si nostros tantum debito caritatis obsequio foveremus; eum perfectum posse fieri, qui plus aliquid publicano vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit; qui pro persequentium se salute, sicuti Dominus monet & hortatur, orarit. Oriri Deus facit jugiter solem suum, & pluvias subinde nutriendis seminibus impertit, exhibens cuncta ista non suis tantum, sed etiam alienis; & qui se Dei etiam filium esse profitetur, cur non exemplum Patris imitatur? Respondere, inquit, nos decet natalibus nostris, & quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit; sed probari potius in sobole traducem boni Patris æmulatione bonitatis.

[19] [efficaci oratione adducit.] Multa alia, & quidem magna, prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur proluxiore sermone replicari, de quibus hoc tantum dixisse satis est: quod si illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent. Quid Christiana plebs faceret, cui de fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi, qui angustia paupertatis, beneficia sumptus exhibere non poterant, plus sumptibus exhibebant, compensantes proprio labore mercedem, divitiis omnibus cariorem. Et quis non sub tanto Doctore properaret inveniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret & Deo Patri, & judici Christo, & tam bono interim Sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est, apud omnes, non ad solos domesticos fidei. Fiebat plus aliquid, quam de Tobia incomparabili pietate signatum est. Ignoscat ille, & ignoscat iterum, & frequenter ignoscat; aut, ut verius dixerim, merito concedat, tametsi ante Christum plurimum licuit, plus aliquid licuisse post Christum, cujus temporibus plenitudo debetur. Necatos ille a rege & projectos sui tantum generis colligebat.

[20] His tam bonis & tam piis actibus supervenit exsilium: [Pellitur in exsilium] hanc enim vicem semper repræsentat impietas, ut melioribus pejora restituat. Et quid Sacerdos Dei, proconsule interrogante responderit, sunt Acta, quæ referant. Excluditur interim e civitate ille, qui fecerat boni aliquid pro civitatis salute; ille, qui laboraverat, ne viventium oculi paterentur infernæ sedis horrorem; ille, inquam, qui excubiis pietatis invigilans, pro nefas! ingrata bonitate providerat, ne, omnibus tetram civitatis faciem relinquentibus, multos exsules deserta respublica, ac destituta patria sentiret. Sed viderit sæculum, cui inter pœnas exsilium computatur. Illis patria nimis cara & commune nomen est cum parentibus: nos parentes ipsos, si contra Dominum suaserint, abhorremus.

**Illis extra civitatem suam vivere gravis pœna est: Christiano totus hic mundus una domus est. Unde licet in abditum & abstrusum locum fuerit relegatus, admixtus Dei sui rebus, exsilium non potest computare.**

**[21] Adde, quod Deo integre serviens, etiam propria in civitate peregrinus est; [Curubim, ubi] dum enim se carnalibus desideriis continentia sancti spiritus abstinet, conversationem prioris hominis exponens, etiam inter cives suos, aut, prope dixerim, inter parentes ipsos, vitæ terrestris alienus est. Accedit, quod etsi hæc alias pœna posset videri, in hujusmodi tamen causis atque sententiis, quas ad probandæ virtutis experimenta perpetimur, non est pœna, quia gloria est. Sed esto sane, nobis pœna non sit exsilium: illis ultimum crimen & pessimum nefas etiam ipsorum conscientia testis adscribat, qui possunt innocentibus irrogare, quod putant pœnam.**

**[22] Nolo nunc describere loci gratiam, & deliciarum omnium paraturam interim transeo. [nihil ipsi deest,] Fingamus locum illum situ sordidum, squalidum visu, non salubres aquas habentem, non amœnitatem viroris, non viciniam litoris; sed rupes vastas silvarum inter inhospitas fauces, desertæ ad modum solitudinis, avia mundi parte summotum. Posset, licet talis locus, habere nomen exsilii, quo Cyprianus sacerdos Dei venerat; cui si hominum ministeria deficerent, vel alites, ut Helicæ, vel, ut Danieli, angeli ministrarent? Absit, absit, ut credat aliquis, cuilibet minimo, dummodo in confessione Nominis constituto, aliquid defuturum: tantum abest, ut Dei Pontifex ille, qui misericordiæ semper rebus institerat, horum omnium opibus indigeret.**

**[23] Jam nunc, quod secundo posueram loco, cum gratiarum actione repetamus; [a multis invisitur, & per visionem] provisum esse divinitus etiam pro animo tanti Viri apricum & competentem locum, hospitium pro**

voluntate secretum, & quidquid apponi eis ante promissum est, qui regnum & justitiam Dei quærunt. Atque ut omittam frequentiam visitantium fratrum, ipsorum & inde civium caritatem, quæ repræsentabat omnia, quibus videbatur esse fraudatus; admirabilem visitationem Dei non præteribo, qua Antistitem suum sic in exilio esse voluit de secutura passione securum, ut imminentis martyrii pleniore fiducia non exulem tantummodo Curubis, sed & martyrem possideret.

[24] Eo enim die, quo primum in exilii loco mansimus (nam & me inter domesticos comites dignatio caritatis ejus delegerat exulem voluntarium, quod utinam & in passione licuisset!) Apparuit mihi, [de martyrio subeundo, ejusque dilatione] inquit, nondum somni quiete sopito, juvenis ultra modum enormis; qui cum me ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum proconsulis admoveri. Is, ut me respexit, adnotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam; nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim juvenis, qui a tergo ejus stabat, admodum curiosus legit, quidquid fuerat adnotatum: & quia inde verbis proferre non poterat, nutu declarante monstravit, quid in litteris tabulæ illius haberentur. Manu enim extensa, & complanata ad spatæ modum, ictum solitæ animadversionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit.

[25] [divinitus admonetur;] Intellexi sententiam passionis futuram. Rogare cœpi, & petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cum preces frequenter iterassem, rursus in tabula cœperat, nescio quid, adnotare. Sensi tamen de vultus serenitate judicis mentem, quasi justa petitione commotam. Sed & ille juvenis, qui jam dudum de passionis indicio gestu potius, quam sermone, prodiderat, clandestino identidem nutu

concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post invicem digitis significare properavit. Ego, quamvis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertæ sic tremebam, ut reliquiæ formidinis cor exsultans adhuc toto pavore pulsarent.

[26] [quam visionem] Quid hac revelatione manifestius? Quid hac dignatione felicius? Ante illi prædicta sunt omnia, quæcumque postmodum subsecuta sunt. Nihil de Dei verbis imminutum; nihil de tam sancta promissione mutilatum: singula denique, secundum quod ostensa sunt, recognoscite. Dilationem petit crastini, cum de passionis sententia cogitaretur; postulans, ut res suas die illo, quem impetraverat, ordinaret. Hic dies unus significabat annum, quo ille post visionem acturus in sæculo fuerat. Nam, ut manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Diem autem Domini, etsi non annum in divinis Litteris legimus, promissioni tamen futurorum debitum illud tempus accipimus: unde nihil interest, si nunc sub diei significatione solus annus ostensus est; quia illud plenius debet esse, quod majus est.

[27] [auctor interpretatur,] Quod vero nutu potius, & non sermone, explanatum est, repræsentationi temporis servabatur sermonis expressio: solet enim tunc verbis quodcumque proferri, quotiens, quidquid profertur, impletur. Nam & vere nemo cognovit, quare hoc ei ostensum fuisset, nisi quia post eodem die, quo id viderat, coronatus est. Medio nihilominus tempore imminens passio pro certo ab omnibus sciebatur; passionis tamen dies certus ab iisdem omnibus, quasi ignorantibus, tacebatur. Sane & in Scripturis tale aliquid invenio: nam Zacharias sacerdos, promisso sibi per angelum filio, quia non crediderat, obmutuit, ita ut filii nomen scripturus potius, quam relaturus, nutu tabulas postularet. Merito &

hic, ubi Dei nuntius passionem Antistitis imminentem nutu potius expressit, & fidem admonuit, & Sacerdotem munivit.

[28] Dilationis autem petendæ ratio de ordinatione rerum, & de voluntatis dispositione veniebat. Quæ vero res illi, aut quæ voluntas ordinanda, nisi ecclesiastici status? Suprema idcirco accepta dilatio est, [& veridicam fuisse probat.] ut, quidquid circa pauperum fovendorum curam supremo iudicio disponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, immo vero propter hoc tantum, etiam indulgentia ab ipsis, qui ejecerant, & qui occisuri erant, admissa est, ut præsens & præsentis pauperes novissimæ dispensationis extremis, & ut plenius dixerim, totis sumptibus relevaret.

## ANNOTATA.

In persecutione Decii anno 250, ut in Commentario ostensum est § 7, quem de gentilium in sanctum Antistitem odio, & ejusdem secessu ac proscriptione consule.

Hisce varia S. Cypriani Opuscula biographus recenset; nempe Epistolam ad Donatum; de qua in Commentario prævio § 4, a num. 65; librum de Disciplina & habitu virginum, de quo § 6, a num. 104; librum de Lapsis, de quo § 27, librum de Unitate Ecclesiæ, de quo § 25; [Col. 0330B] librum de Oratione Dominica, de quo § 27; librum ad Demetrianum, de quo § 35; librum de Mortalitate, de quo § 36; librum de Opere & elëemosyna, de quo in eodem §; libros de Bono patientiæ, & de Zelo & livore, de quibus § 39, & Epistolam ad Fortunatum de Exhortatione martyrii, de qua § 46 Commentarii actum est.

Biographus spontaneum Sancti secessum, in quo tempore persecutionis Decianæ justissimis de causis latuit, ab

omni prava suspitione prolixè vindicare conatur, quia de illo minus favorabiliter opinatus fuerat clerus Romanus, prout § 9 dictum est.

Loquitur de causa lapsorum in persecutione Decii; quam Sanctus inter Novatiani Felicissimique schismata, quorum primus omnem spem veniæ lapsis adimebat, alter eosdem sine ulla pœnitentia ad pacem Ecclesiæ admittendos esse contendebat, sic tractavit, ut lapsos nec temere ad pacem reciperet, nec impie repelleret.

Surius & editor Oxoniensis legunt: Quod sibi fieri voluit. Hanc porro gentiliū in suos impietatem S. Cyprianus in libro ad Demetrianum ipsi merito objecit. Adi Commentarium loco mox laudato.

### **CAPUT III.**

#### **Sancti gesta in exilio: comprehensio: condemnatio & martyrium.**

[Sanctus recusat fugere;] Ordinatis ergo tam pie rebus, & sic pro voluntate dispositis, proximabat dies crastinus. Jam de Xysto, bono & pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab Urbe nuntius venerat. Sperabatur jam jamque carnifex veniens, qui devota sanctissimæ Victimæ colla percuteret: & sic erant omnes dies illi quotidiana exspectatione moriendi, ut corona posset singulis adscribi. Conveniebant interim plures egregii, & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & sæculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent; & ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant. Ille vero jam mundum, suspensa ad cælum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod a plurimis & fidelibus petebatur, si & divino imperio juberetur.

**[30] [suos ad martyrium animat: capitur;] Sed nec illa sublimis tanti Viri gloria sine præconio transeunda est; quia jam sæculo tumescente, & de fiducia principum infestationem Nominis anhelante, ille servos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus dominicis instruebat, & ad calcandas passiones hujus temporis contemplatione superventuræ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret, sic sibi passionis vota contingere, ut, dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam Sacerdotis; cum ecce proconsulis jussu ad hortos ejus (ad hortos, inquam, quos inter initia fidei suæ venditos, & Dei indulgentia restitutos, pro certo iterum in usus pauperum vendidisset, nisi invidiam de persecutione vitaret) cum militibus suis princeps repente subitavit; immo, ut verius dixerim, subitasse se credit: unde enim posset, tamquam improvise impetu, mens semper parata subitari?**

**[31] [fit ingens ad eum concursus,] Processit ergo jam certus expungi, quod diu fuerat retardatum; processit animo sublimi & erecto, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in crastinum, ad domum principis a prætorio revertebatur; cum subito per Carthaginem totam sparsus rumor increbuit, productum esse jam Thascium, quem præter celebrem gloriosa opinione notitiam, etiam de commemoratione præclarissimi operis nemo non noverat. Concurrebant undique versus omnes ad spectaculum, nobis pro devotione fidei gloriosum, gentilibus & dolendum. Receptum eum tamen, & in domo principis constitutum una nocte continuit custodia delicata, ita ut convivæ ejus & cari in contubernio ex more fuerimus.**

**[32] Plebs interim tota sollicita, ne per noctem aliquid sine conscientia sui fieret, [plebs ante fores noctem excubat.] ante fores principis excubabat. Concessit ei**

tunc divina Bonitas vere digno, ut Dei populus etiam in Sacerdotis passione vigilaret. Forsitan tamen quærat aliquis, quæ causa fuerit a prætorio revertendi ad principem. Et volunt hoc scilicet quidam de suo tunc proconsulem noluisse. Absit, ut in rebus divinitus gestis segnitiem sive fastidium proconsulis conquerar: absit, ut malum hoc intra conscientiam religiosæ mentis admittam, ut de tam beatissimo Martyre ructus hominis iudicaret: sed crastinus dies ille, quem ante annum dignatio divina prædixerat, vere crastinus esse debebat.

[33] Illuxit denique dies alius, ille signatus, ille promissus, [Postridie ad tribunal proconsulis ductus,] ille divinus; quem si tyrannus ipse differre voluisset, numquam prorsus valeret: dies de conscientia futuri Martyris lætus, & discussis per totum mundi ambitum nubibus, claro sole radiatus. Egressus est domum principis, sed Christi & Dei Princeps, & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus est. Sic autem comitatu eius infinitus exercitus adhærebat, quasi ad expugnandam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit transitus stadii. Bene vero & quasi ex industria factum, ut & locum congruentis certaminis præteriret, qui ad coronam justitiæ, consummato agone, currebat. Sed ubi ad prætorium ventum est, nondum procedente proconsule, secretior locus datus est. Illic cum post iter longum nimio sudore madidatus sederet; (sedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & sub ictu passionis episcopatus honore frueretur;) quidam ex tesserariis, quondam Christianus, res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mutare; qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam si proficiscentis ad Deum Martyris sudores jam sanguineos possideret. Cui ille respondit, & dixit: Medelas adhibemus querelis, quæ hodie forsitan non erunt. Mirum, si contempsit laborem corpore, qui mortem mente contempserat?

**[34] Quid plura? Subito proconsuli nuntiatus est. [lata sententia,] Producitur, admovetur, interrogatur de suo nomine: se esse, respondit: & hactenus verba. Legit itaque de tabula jam sententiam iudex, quam nuper in visione non legerat, sententiam spiritalem non temere dicendam; sententiam Episcopo tali, & tali Teste condignam; sententiam gloriosam, in qua dictus est sectæ Signifer, & Inimicus deorum, & qui suis futurus esset ipse documento, & quod sanguine ejus inciperet disciplina sanciri. Nihil hac sententia plenius, nihil verius: omnia quippe, quæ dicta sunt, licet a gentili dicta, divina sunt. Nec mirum utique; cum soleant de passione Pontifices prophetare. Signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat: Inimicus Deorum, qui idola destruenda mandabat: documento autem suis fuit, qui multis, pari genere secuturis, prior in provincia martyrii primitias dedicavit. Sanciri etiam cœpit ejus sanguine disciplina, sed martyrum, qui Doctorem suum imitatione gloriæ consimilis æmulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt.**

**[35] Et cum exiret prætorii fores, ibat comes militum turba; & ne quid in passione deesset, centuriones & tribuni latus texerant. Ipse autem locus æqualis est, ubi pati contigit, ut arboribus ex omni parte densatis sublime spectaculum præbeat. [coram numerosissimo populo] Sed per enormitatem spatii longioris visu denegato per confusam nimis turbam, personæ faventes in ramos arborum repserant; ne vel hoc illi negaretur, ut ad Zachæi similitudinem de arboribus videretur. Sed jam ligatis per manus suas oculis, moram carnificis urgere tentabat, cujus munus est ferrum: & labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretiosi Viri mortem clarificationis hora matura centurionis manum, concesso desuper vigore firmatam, permissis tandem viribus expediret.**

**[36] [capite plectitur.] O beatum ecclesiae populum, qui Episcopo suo tali, & oculis pariter & sensibus, &, quod est amplius, publicata voce compassus est; &, sicut ipso tractante semper audierat, Deo iudice coronatus est. Quamvis enim non potuerit evenire, quod optabant vota communia, ut consortio parisi gloriae simul plebs tota pateretur, quicumque sub Christi spectantis oculis, & sub auribus Sacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti sui Testem, legationis quodammodo litteras ad Deum misit. Sic consummata passione, perfectum est, ut Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas in Africa primus imbueret; quia & talis esse post Apostolos prior ceperat. Ex quo enim Carthagini episcopatus ordo numeratur, numquam aliquis, quamvis ex bonis & \* sacerdotibus, ad passionem venisse memoratur. Licet semper Deo mancipata devotio dicatis hominibus pro martyrio deputetur; Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam, Domino consummante, profecit, ut in civitate ipsa, in qua taliter vixerat, & in qua prior fecerat multa praecleara, prior etiam sacerdotii caelestis insignia glorioso cruore decoraret.**

**[37] [Epilogus auctoris.] Quid hoc loco faciam? Inter gaudium passionis, & remanendi dolorem in partes divisus animus, & angustum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo, quod non comes fuerim? Sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? Sed doleo, quod comes non sim. Verum vobis tamen & simpliciter confitendum est, quod & vos scitis, in hac me fuisse sententia. Multum ac nimis multum de gloria ejus exsulto; plus tamen doleo, quod remansi.**